



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia

Tribus Tomis comprehensa

Opuscula Spiritiva - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae Christianae. III. Manuctio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De Sacrificio Missae. VI. De Discretionem Spirituum ... Operum Eminentiss. Cardinalis, Tom. I

Bona, Giovanni

Parisiis, 1677

§. 4. De valore & fructibus sacrificii

urn:nbn:de:hbz:466:1-9969

& dignitas operantis procedens ex habitu gratiæ sanctificantis & virtutum, quæ gratiæ annexæ sunt : nam quò sanctior est sacerdos & gravior Deo, eò magis acceptabiles erunt ejus preces, & oblationes. Secundum est actualis devotio, qua sacrificium offertur : nam quò major illa est, eò amplius ipsum prodest. Sicut enim alia opera bona à justo facta eò magis sunt meritoria & impetratoria, plusque valent ad satisfactionem & remissionem pœnæ, quo perfectiùs & ferventiùs fiunt : ita hoc sacrificium sive spectetur ut est sacrificium, sive ut est sacramentum, quò ferventiùs peragitur & suscipitur ; eò magis augetur meritum, magisque prodest pro se offerentibus & suscipientibus, & illis pro quibus offertur. Ideò satagere debet sacerdos, ut sit Deo valdè gratus, & continua virtutum heroicarum exercitatione crescat apud illum in gratia & sanctitate, semperque celebret cum ingenti fervore & devotione : sic enim fiet, ut tam ipse quam alii pro quibus offert, plures & efficaciores sacrificii effectus ex opere operantis consequantur.

§. IV. *De valore, & fructibus Sacrificii.*

QUAMVIS nonnulli ex Theologis existimarint hoc sacrificium ex opere operato valorem sive efficaciam intensivè infinitam habere, eò quod sit idem quoad substantiam cum sacrificio crucis, resque oblata, corpus scilicet & sanguis Christi, sit infiniti pretii, & ipse Christus principalis offerens sit persona infinita ; certior tamen & communior sententia est, non nisi finiti valoris esse. Potissima hujus Assertionis ratio ex Christi Domini voluntate desumitur, qui noluit hoc sacrificium ordinare ad fructum intensivè infinitum conferendum : sicut de facto rebelles Angeli non sunt redempti, quia Christus merita suæ passionis noluit illis applicare. Alia ratio est, quia ad infinitam sacrificii efficaciam : præter hostiæ & principalis offerentis infinitatem, requiritur etiam ejus infinitas à quo immediatè offertur. Cum igitur sacerdos imme-

diatus offerens sit finitæ dignitatis, valor etiam sacrificii quoad actualem influxum & efficientiam finitus erit, quia actio illa à supposito finito immediatè producitur: & in hoc differt à sacrificio crucis sacrificium nostrum, quia illud fuit immediatè à supposito infinito, ideoque fuit actio secundum esse morale infinita, & Deo Patri infinitè grata. Favet huic doctrinæ communis fidelium sensus, qui plura pro se & suis sacrificia offerri curant, quod certè non facerent, si infinitam in singulis efficaciam agnoscerent. Possent etiam sacerdotes unico sacrificio sexcentis obligationibus satisfacere, quod Ecclesiastica vetant decreta. Frustra pro uno defuncto tot multiplicarentur sacrificia, quia unum sufficiens esset ad omnes animas liberandas. Missa denique cujuslibet sacerdotis sacrificium Christi in cruce æquaret, quod ideo unicum fuit, quia valoris infiniti. Neque considerandum est id quod in sacrificio continetur tanquam ens quoddam naturale agens secundum summum gradum virtutis suæ, sed ut ens liberum, cujus operatio tantam habet efficaciam, quantam habere vult ipsum agens principale Christus Redemptor noster, qui hoc incruentò sacrificio vult nobis applicari finitum tantum & limitatum fructum suæ passionis. Habet igitur sacrificium efficaciam finitam in ordine ad omnes suos effectus, excepta vi impetrativa, quam ideo infinitam esse omnes fatentur, quia non consistit in aliquo quod producat à sacrificio, sed in excellentia & intrinseca dignitate ipsius, quatenus objectivè movet Deum ad id quod petitur concedendum, quamvis semper non concedat, nisi cum judicat salutem nostræ expedire ut concedatur.

Si verò loquamur de infinitate extensiva, an scilicet sacrificium pro multis oblatum æquè singulis prosit, sicut uni prodesset, si pro eo tantummodo offerretur, gravis quæstio est præmissa distinctione fructuum Missæ definienda. Est igitur triplex portio valoris Missæ, seu triplex fructus, generalis, specialis & medius. Primus pertinet ad omnes

omnes fideles; secundus est proprius celebrantis, tertius subest dispositioni sacerdotis, ut applicet cui voluerit. Primus ex eo provenit quod generaliter pro omnibus fidelibus vivis & defunctis offertur, est enim idem quoad substantiam cum sacrificio crucis, quod pro omnibus oblatum est, & ex canone constat debere sacerdotem pro omnibus applicare, pro Papa, pro Episcopo, pro Rege, totaque Ecclesia militante & purgante, & non potest non applicare, cum sit ab ipsa Ecclesia ad hoc specialiter deputatus. Quocirca hic fructus ad omnes fideles extenditur, qui ab Ecclesie unitate non sunt præcisi, & non ponunt obicem, & sic potest esse quodammodo extensivè infinitus, omnesque & singuli, si per ipsos non stet, integrum fructum percipere possunt, ac si unus tantum esset. An autem hic fructus non solum impetrationem, sed etiam satisfactionem includat, controversum est. Secundus in hoc fundatur, quia sacerdos offert etiam pro se ipso, *Offero*, inquit, *pro innumerabilibus peccatis, & offensionibus, & negligentis meis*. Debet enim, ut ait Apostolus, *quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis*. Provenit autem sacerdoti fructus, quatenus ab ipso ut publico ministro offertur; & idè non est alteri applicabilis: nam dum offert pro se illis verbis, *pro peccatis & offensionibus meis*, eo ipso sibi applicat, sibi verò applicatum non est alteri applicabile. Tertius colligitur ex natura sacrificii, quod ita institutum est ut pro hominibus offeratur, ac propterea illis prodesse debet, pro quibus offertur. De hoc fructu medio communis sententia est non esse infinitum extensivè, sed eo magis in singulis minui, quo magis extenditur. Debet autem sacerdos hunc fructum illi applicare, pro quo specialiter celebrare tenetur ratione beneficii, elemosinæ, præcepti superioris, vel alio quocunque titulo; idque ante Missam, vel saltem in Missa ante consecrationem, nam si essentia Missæ in sola consecratione consisteret, ut plerique sentiunt, applicatio post illam facta ni-

hil valeret, sacrificio quoad substantiam jam consummato.

§. V. *Quæ praxis servanda in applicatione Missæ.*

Quia diximus sacrificii fructum debere à sacerdotibus applicari, operæ pretium erit ex communi & magis recepta Theologorum sententia praxim aliquam sive methodum hujus applicationis præscribere, quæ ipsis sacerdotibus usui sit, ne eos labi in re tanti momenti & muneri suo deesse contingat. Et primò quidem observandum est sacerdotem multiplici nomine hoc sacrificium offerre, nomine Christi primi & præcipui offerentis ex cuius meritis sacrificii valor emanat, & ex cuius voluntate maximè pendet ejusdem applicatio: nomine item Ecclesiæ, cui meritorum suorum & satisfactionum dispensationem Christus commisit: deinde nomine proprio, quatenus libera sua voluntate offert, sibi que aut aliis pro suo arbitrio applicat: nomine tandem aliorum fidelium, qui simul cum ipso, sive per ipsum interno affectu offerre dicuntur, illorum videlicet qui Missæ inserviunt & assistunt, vel pro ea celebranda eleemosinam largiti sunt. Porro Christus & Ecclesiæ sacrificii fructuum quoties offertur, participes esse volunt omnes fideles, dummodò capaces sint, & nullus in eis obex reperiatur: nec ulla requiritur ex parte sacerdotis celebrantis applicatio, ut communis hic fructus in omnes diffundatur. Omnium autem fructuum pars quædam notabilis, Christo sic volente & disponente, relicta est liberæ applicationi, & determinationi tam ipsius sacerdotis celebrantis tamquam Ministri & mysteriorum ejus dispensatoris, quàm aliorum simul cum eo offerentium, quod ex communi Ecclesiæ consensu morem fidelium approbantis, quo expetunt hoc sacrificium pro se peculiariter offerri, manifestum est: frustra enim id facerent, si omnis ejus fructus jam applicatus esset, nec ullus per sacerdotis intentionem applicandus superesset. Sacerdos verò in hujus sacrificii actione aliis cum